

geratissimo SENNERTO, sub renovatione valli, in fossâ, procul ab omnibus locis maritimis, in grato Albis confinio, reperta fuit Terræ Vena arenas veluti tenuissimas ebulliendo projiciens, cum quibus simul exiere quædam Succini frustra, translucida, aurei coloris, atq; si flammæ adhibeantur, æqvè ut Succinum Prussiacum, inflammabilia, & amicum spirantia fragrorem.

Ex quibus exemplar quoddam teneo ex liberalitate Honoratissimi Civis mei, JCTI Excellentissimi Dn. D. CHRISTOPHORI BRESLERI, Museo gratâ Naturalium varietate in his locis clari: aliudq; frustulum, similis profapiæ ac indolis adfero quod noviter etiamnum ex eadem venâ erutum mihi donavit Laudatissimus Electoralis hujus Urbis Capitaneus, Dn. ERASMUS EGERLANDUS, Ut frustra amplius sit, pulcerrimi istius Bituminis Natales unice in undis quærere velle, cum ne Succinum quidem Prussiacum aliunde, quam Terrâ nasci videatur, innuente AMBROSINO (lib. 3. Musei Metall. ALDROVANDI, c. 18. p. 407.) dum ita ait: *Inter alios Autores nobis magis arridet Erasmus Stella, in libro de Borussia Antiquitatibus, qui divulgavit, è limo quorundam Montium, Sole operante, fluitare, & in herbido, atq; algido Solo, his montibus subjecto, densari, & Oceano illic effervescente inde rari, & in proxima litora propelli. Indicium autem hujus rei esse tradit, quoniam ex solo interdum erigitur; quod cum molle & lentum adhuc sit, loci incolæ mari immergunt, cujus ope postmodum lapidescit.*

*Prussia cur
ferax succini?*

*Regressus ad
Historiam Calculorum
Sperlingii.*

*Decubitus &
Agon Sperlingii.*

Sed missis tandem his omnibus, missâ ampliore calculorum in Macrocosmo historiâ, imprimis quod talium propediem mentionem facturus sim in Lithologiâ meâ Curiosâ, ad æqvè curiosam, sed non sine mœrore, historiam mortis & calculorum SPERLINGII revertamur.

Doloribus itaq; Lumborum, & molestis Dorsi torminibus, concurrente mingendi difficultate ac tarditate per aliquot retrò annos vexatus, corpore verò cæteroquin robusto ac valido, cui proinde etiam nimis ferè confidebat, Cl. SPERLINGIUS, medicaminum assumendorum impatiens, circa Julii Mensis finem, superius dicti Anni 1658. â plurimis amplius se cohibere, quam maximè vellet, nequit, sed incassum quæsitâ ampliore obambulan-

bulan-